



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lucubrationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

etationis gratia qua sese oblectant. Quod si qua unquam avis fuit, ex cuius cantilenis homines Musicam excogitaverint, ut Chamæleon Ponticus arbitratur, nimirum Luscinia est, quam habuisse magistrum neminem pudere debeat, dummodo vim in hac re alitis non ignaviter assequatur.

## GERMINATIO. CAP. XII.

Germinationis tempus nonnulli per Lusciniam indicant: propterea quod avis ea, cum primum sylva frondibus incipit opacare, diebus ac noctibus quindecim assidue canat, lætitiā testata, quam ex verni temporis adventu præsentit: ab eo vero tempore canit quidem, sed non assidue.

## LUCUBRATIONES. CAP. XIII.

Plin. ibid.  
In literarum  
studii mi-  
rificus con-  
centus.

Quare factum, ut qui eam vernis mensibus per totam ferè noctem dulci eo modulamine delectari observarunt, vigilantiam ex ejus hieroglyphico, nocturnasque lucubrationes significari dixerint. Nam nisi literarum studiis summa in esset delectatio, mirificusque concentus, pro uniuscujusque ingenii captu, haud facile reperias, qui laboriosis vigiliis temerè velit infensescere, atque assidua mentis agitatione consumi. Cui quidem sententia favet, quod Hesiodus ea similitudine, quam de Luscinia ab accipitre in altum rapta, miserabiliterque conquerente, posuit. Per Lusciniam, ut interpretes addunt, Poëtam causa modulationis intelligi, semetipsam scilicet, qui fuerat à iudicibus vexatus: per Accipitrem vero iudices, ob rapacitatem, qui Perseæ fratris largitionibus corrupti inique iudicaverant.

## DE PSITTACO. CAP. XIV.

Psittacum apud Ægyptios, de quibus aliquid habuerim, non inveni: sed authores, nationesque reliquæ, avem in humani sermonis imitatione omnium maximè admirabilem, indicant minimè reliquere.

## ELOQUENTIA. CAP. XV.

Hinc vā-  
quæ dē-  
vā-  
phoni aves.  
Auctor A-  
postolus in  
collethænis.

Per ejus enim effigiem eloquentem hominem, qualem se negat Tullius reperisse, significabant, cum nullum ex animalibus rationis expertibus articulatus humanas explicet voces, id quod ideo præstat, quod linguam habeat latiore, carnosiore, & humana propemodum similem: nam quæ angustam habent, literas proferre non possunt. Atque hanc verisimile est inter eas, quas Psaphon Libycus enutrivit & instituit, principatum obtinuisse: ille enim, cum alioquin vir esset perditissimus, & omni scelerum obscenitate contaminatus, viam excogitavit, qua non modo se purgaret infamia, sed divinos etiam honores post mortem assequeretur. Aves enim magno numero in seductum penetrale clave sit, quas cicuratus, nemine conficio, docuit canere. *ἡ γὰρ, θεὸς ἤδ' ὄρω, magnus Deus Psaphon*: mandavitque moriens, ut penetrale illud nulla interposita mora discinctis fenestris patetieret: atque ita provolantibus per urbem totum, que agrum avibus, & *magnus Deus Psaphon*, ubique Græcæ continentibus, factum, ut sit creditus Deus, & templa sacraque illi fuerint instituta.



Ideoque à  
Galeno in-  
cepta imita-  
tione strenu-  
taxatur l. 2.  
de differ.  
pulsuum.

## DE PICA. CAP. XVI.

Est & Pica docilitas ad humana verba, sed quoniam non ita liquide nec concinne loquitur ut Psittacus, & quadam omnino raucitate sermonem obfuscat, præfraçtoque sono syllabas enunciat, estque memoria minimè tenaci, ut nisi quæ didicit frequentius replicari audierit, facile obliviscatur, ideo non meruit, ut Psittacus, eloquentiæ titulum sibi vindicare.

GAR-